



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Ilvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt V. Opinio Paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine
cibo & potu materiali reficiendos esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

ceptus est de Dei flamine, & ideo dicunt, ipsum non fuisse passum, vel mortuum, nec à mortuis suscitatum; sed asserunt, loco sui alium hominem potuisse, cum Iudæi vellent eum cruci affigere; quod ita nituntur asserere: si Christus de flatu diuino conceptus est, sicut status diuinus incorruptibilis est, ita Christus impassibilis. Præterea, indecens esset Christum de flatu diuino conceptum, & sic quodam modo Dei filium crucis subire patibulum.

CAPVT IV.

Solutio, Præmissorum.

AD hoc dicendum, quod Christus secundum quod Dei Filius est, nec passus, nec mortuus, nec suscitatus est, sed secundum infirmitatem humanæ naturæ, quam assumpsit de Virgine. Quia ipse si carnem assumpsit, aut passibilem habuit aut impassibilem? si impassibilem, vnde eam assumpsit, cum omnis caro passibilis esset; si passibilem assumpsit, pati & mori potuit, & ex diuinitatis virtute à mortuis resurgere. Sed caro Virginis passibilis erat, & ex illa passibili carnem assumpsit, & sic passibilis fuit. Quod autem Christus Dei Filius fuerit, & secundum hoc immortalis, & Filius Virginis, & secundum hoc mortalis, diligenter superius probatum est; & quod Christus passus, mortuus, suscitatus, superius varijs probauimus auctoritatibus; & sic Christus quod mortem subijt secundum carnis infirmitatem, non hoc reputauimus Christi miseriam, sed dignationem, ex summa Dei misericordia & dignatione fuit, quod Christus carnem assumpsit: mortem subijt, non quod hoc meruisset, sed vt à morte nos per mortem redimeret. Si enim Rex alius miserus serui sui iacentis in luto, lutum intraret, vt seruum liberaret, non hoc adscribere-

tur miseriam Regis, sed dignationi.

CAPVT V.

Opinio Paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine cibo & potu materiali reficiendos esse.

Dicunt etiam prædicti Pagani, in æterna beatitudine homines materiali cibo & potu reficiendos esse; quod auctoritatibus conantur probare; aiunt enim Deum Iudæis, si benè agerent, promississe terram fluentem lacte & melle; sed hoc intelligi non potest de materiali terra promissionis, quia non manat lacte & melle, ergo referendum est ad paradysum, in quo Beati reficientur lacte & melle. Et Christus promittens suis æternam refectionem, ait, (a) *Vt edatis & bibatis supra mensam meam in regno Patris mei.* Christus etiam legitur post resurrectionem fauam mellis comedisse, vt per hoc insinuetur, quod homines post resurrectionem reficientur melle.

CAPVT VI.

Solutio ad præmissa.

AD hoc dicendum, quod in æternâ beatitudine, non erit materialis refectio, sed spiritualis quia homines spiritualia corpora habebunt, non potu vel cibo indigentia. Quia, sicut attestante Christo, homines in Paradysio (b) *neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei,* materialibus alimentis non reficientur, sed erunt sicut Angeli Dei, cibo & potu non indigentes. Et Apostolus ait, quod (c) *esca & potus non sunt regnum calorum; caro etiam & sanguis Regnum Dei non possidebunt,* id est, alimenta carnis & sanguinis, in regno Dei locum non habebunt.

Ad litteram etiam de terra promissionis intelligi-

(a) *Luca 22. v. 30.* (b) *Marcii. 12.* (c) *Ad Rom. 14.* (d) *1. Cor. 16.*